

NOMEN  
VNI AN-  
NA, &c.  
Vnicum à  
mala mulie  
re solatium  
liberi.  
Menander.  
Zonaras.

85

Cap. I. Vers. 2.

86

NOMEN  
VNI AN-  
NA, &c.

PHENENNA autemerant filij.] Hoc vnicum à mala muliere solatium est, quod vt allequaris sexcentas interim molestias ferre necesse est. Quas postquam Menander ex parte enarrauit, Existit attamen, inquit, boni aliquid ab ea, liberi. Cùm Imperator Theophilus (vt Zonaras author est Annal. Tom. 3.) lustraret oculis formosas puellas, è quibus sibi coniugem deligeret, ad Icaïam dixit: A muliere emanarunt mala: illa verò, Sed & res meliores, inquit, è muliere exuberant, liberos opinor intelligens. Gestabat imperator malum aureum quod daret electæ pignus: quod cùm illa non accepisset, Monasterium sui nominis construxit, & non pauca doctè atque eleganter scripsit.

Tropologia.  
Hieronym.

Porrò Annam gratiam, Phenennam conuersionem interpretatus est S. Hieronymus. Et B gratia quidem interpretatione non indiget, quam enim aliam nisi Dei intelligamus? At conuersio tum mihi videtur animæ contingere, cùm à peccato respicit, & ad meliorem frugem se recipit. Quod vt verè fiat, debet omnes tum corporis, tum animi neruos intendere, & remis velisque, vt aiunt, conari. Idcirco autem gratia conuersioni præponitur, quoniam nisi illas nos primùm excitaret, vîmque prostratis ad resurgendum tribueret, perpetuò iaceremus. Quemadmodum enim qui graui aliquo vulnere debilitatus est, aut etiam in scrobem altam & profundam lapsus, nisi quis fortè adiuret, aut manum porrigat, neque incedere, neque inde emergere potest: ita ne ille quidem, qui in malitiæ barathrum incidit, propriis viribus seruari poterit. Hoc docet præclara illa parabola, qua Dominus illi qui in latrones inciderat, Samaritani opem necessariam fuisse ostendit. Hoc Davidis historia, qui non aliter quàm Michol auxilio, quæ prior illi nupsit, demissum lapsus per funem è Saulis manibus eripi potuit. Verùm de gratia erit alius tractandi locus. Quoniam autem non sine labore aliquo, licet à gratia adiuti, enitimur, si quid partum est, studio atque industriæ nostræ acceptum referimus: non aliter, quàm si quis agricola suo operi ac diligentia tribueret omnia, soli autem, ac pluuia ne hilum quidem. Inde sæpe in eas voces erumpimus: O si mihi Deus vel hanc, vel illam gratiam contulisset, si vitæ arctioris votum inspirasset, longè hos omnes vitæ innocentia, rerumque omnium abnegatione superassem. Verùm tantum ille mihi fauorem denegauit, sed hoc quàm temerè! quasi verò tu plus studij atq; animi adhibere paratus sis, quàm Deus contulerit, cuius tu gratiam quasi sterilem inculcas, cùm sit illa fecundissima. Atqui video, dices, Phenennæ liberos, cerno industriæ factum, diligentiam, opus. De media nocte galli cantum præuenio, nec me aut caloris æstus, aut hyemis rigor à decantandis Dei laudibus absterret. Post noctis quoque excubias diurnus labor succedit, qui totus aut studiis, aut opere bono teritur, partem quoque lucis maximam orationi im-

pendo. Habeo ex his Phenennæ liberos. Dic Annæ partus vbi est? Fructus vbi sunt? Nam neque mihi videtur præter solitum charitate incensus, neque ampliori lumine collustratus, neque in oratione mentis quietem, aut vllam denique virtutem consecutus. Quis igitur merito gratiæ sterilitatem non exprobet? Verùm, vt opinor, quid dicas non animaduertis. Nam vt reliqua taceam, idque in primis, quòd nec sine gratiæ beneficio vllam talem actionem edere potuisset, perseuerantia illa tua tanta quem authorem habet? Nunquamne igitur ingenij tui leuitatem explorasti? Nunquam illius inconstantiam sic compertam habuisti, vt hanc propositi tui, & quidem ardui diuturnitatem ab illa proficisci minimè dubitares? At nullam vt tibi videtur virtutem consecutus es? Ergone paribus libidinis facibus inflammaris, quibus in seculo incendebare? Num paribus ambitionis stimulis exagitaris, quibus olim cùm diuitiis atque autoritate omnibus antecellere cupiebas? Num te adhuc auaritia torquet? Num odium exulcerat, aut inuidia pariter tabefacit? Nihil horum. Quis igitur post tot accepta beneficia de Dei gratia conquerentem, ingratum non te iudicet? Verùm vis diuino seruire succendi, vt virtuti quoque suauias accedat, & in oratione animi tranquillitatem obtinere, & ad diuinæ lucis splendorem aspiras, præ quâ reliquas gratiæ dotes nihili ducis. Verùm vide ne te plus æquo ames. Si tamen pergis, disce quo dolore Anna concipiat: flebat enim, & merore tabescebat, & cibum non capiebat: orationi autem tanto studio atque animi contentione instabat, vt etiam ebria putaretur. Huius tu vestigia sectare, si præmium simile studeas auferre.

Cæterum duas illas vxores exemplo Elcane vnusquisque nostrum habere debet, quarum prima, inquit Origenes, Anna est: nec mirum: prior enim ille dilexit nos, elegit, vocauit. Nisi enim illius gratia nos præueniat, ad illum non accedimus. Vt enim absque cœlesti rore conchæ gemmas non pariunt: sic neque nos sine gratia vllam in Deum deuotionem. Posterior Phenenna est. Ex quo enim nos per gratiam excitauit, tum ad eum conuertimur, & à peccati labe recedimus. Conuerte me Domine, & ego conuertar ad te. Contra Pelagianos, vtraque credentis coniux est: contra Semipelagianos, etiam gratia prior est, non solum meritis, verùm etiam, si quod intelligi possit, tempore. Aduerte autem quod sequitur. Prior Phenenna parit, posterior Anna. Ex operibus enim gratia incrementum accipit. Non quia Phenenna parit Annæ liberos, nulli enim actus humani possunt augere, aut intendere charitatem: sed quia si illa pariat, gratia quoque pariet, & gratiam Deus gratia cumulabit. Hæc tropologicè Origenem secuti. Myticè S. Gregorius Ecclesiam, & Synagogam exponit.

Origenes.

Non absque rore cœlesti conchæ gemmas pariunt.

Pelagiani, Semipelagianique confutantur.

vt. g. am. xij